

Recensus Capitulorum LIBRI
SECUNDI.

CAPUT I. Christum Jesum filium Dei à patre nostro cœlesti datum nobis esse in medicinam & fontem salutis contra letale & peremptorium venenum peccati originalis, omnesq; illius fructus & qua animæ qua corporis ærumnas & afflictiones.

II. Quomodo quilibet Christianus Evangelij consolationem sibi vendicare & applicare debeat.

III. Justificationem nostram coram Deo consistere tantum in perfecta obedientia & merito Christi Jesu, & in remissione peccatorum per fidem apprehensam.

IV. Fidem salvificam in vero Christiano operari fructus justitiæ ex penitissimo cordis fundo sine hypocrisi, ipsumq; adeo Deum ex eodem fundo omnia externa opera metiri & aestimare.

V. Non scientiam vel auditum verbi divini verum Christianum efficere & demonstrare, sed hunc demum genuinum Christianum esse, qui verbum Dei vita exprimat, Deumq; ex animo invocet, ut illius verbum in ipso fructificet & vivificetur, ceu verum semen Dei.

VI. In unione cum Christo per fidem consistere nostram beatitudinem & perfectionem, cui tantum abest, ut vel tantillum homo possit addere,